



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1847

XIV. Kaiser Friedrich I. bestätigt dem Bisthum Brandenburg seine Besitzungen und Zehnten, am 20. Juni 1161.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54048](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54048)

est, inter venerabilem fratrem nostrum Wigerum Brandenburgensem Episcopum et dilectum filium nostrum Gerardum Magdeburgensem Praepositum ejusque socios vice tua in eadem causa fungentes in nostro Lateranensi pallatio Chartae et atramento duximus committenda. Statutum est enim, quod tu venerabilis frater Chunrade Archiepiscopo ac fratres tui Episcopo Brandenburgensi et ecclesiae suae centum talenta Magdeburgensis monetae et totidem mansos terrae in eodem Episcopatu, uti laudaverit venerabilis frater noster Anselmus Episcopus, et Gerardus Magdeburgensis Praepositus, atque Arnoldus Abbas Bergensis pro bono pacis dabis atque tradetis, qui nimirum mansi tales existant, quod unusquisque eorum pro censu duos solidos solvet, praeter alias utilitates, qui nihilominus praefati Episcopi usibus cedent. In istis vero centum mansis villa Pecho connumerabitur, cum silvis, pascuis, pratis, aquis aquarumque decursibus infra terminos ejusdem villae, sane census ejusdem villae per viros fideles et timentes Deum computetur, et secundum justam numerationem de supra dictorum mansorum numero minuatur. Pro quibus omnibus Brandenburgensis Episcopus vobis et vestrae Ecclesiae deposita controversia pacem faciat, et de eadem quaestione decimarum fundi beati Mauricii culti vel inculti, quae in praesenti possides sive ad manum tuam Venerabilis frater Chunrade Archiepiscopo teneris, sive aliis Ecclesiis haec ipsa concesseris, seu tui antecessores concesserint, omnimodis conquiescat. Nulli igitur omnino homini fas sit, te vel successores tuos super hac constitutione, salva tertia parte decimarum, quae plebanis debetur, temere perturbare, vel quamlibet vobis contrarietatem vel diminutionem inferre, vel eam infringere in aliquo vel mutare. Si quis autem hoc ausu temerario attemptare praesumpserit, secundo tertiove commonitus, nisi reatum suum satisfactione congrua emendaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reumque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sanctissimo corpore ac sanguine Dei et Domini Redemptoris nostri Jesu Christi alienus fiat, atque in extremo examine districtae ultioni subjaceat. Conservantes autem intervenientibus beatorum Apostolorum Petri et Pauli meritis omnipotentis Dei gratiam et aeternae vitae praemia consequi mereantur, Amen. Ego Innocentius, Catholicae Ecclesiae Episcopus. Ego Conradus Sabienensis, Episcopus. Ego Gregorius, Diaconus Cardinalis Sanctorum Sergii et Pauli. Ego Albericus Hostiensis Episcopus. Ego Lucas, Presbyter Cardinalis Tit. Sanctorum Johannis et Pauli. Ego Chryzogonus, Presbyter Cardinalis Tit. Sanctae Praxedis. Ego Otto, Diaconus Cardinalis Sancti Georgii. Ego Guido, Diaconus Cardinalis Sanctorum Cosmae et Damiani juxta templum Romuli. Ego Diaconus Cardinalis Sancti Eustachii juxta templum Agrippae. Ego Gregorius, Diaconus Cardinalis Sancti Angeli. Ego Gerardus, Diaconus Sanctae Mariae in Dominica. Datum Laterani per manum Almerici Sanctae Romanae Ecclesiae Diaconi, Cardinalis et Cancellarii XII. Kalend. Maji Indictione II. Incarnationis Dominicae Anno MCXXXIX. Pontificatus nostri Domini Innocentii Papae II. anno decimo.

Agittar bei Boyßen II. 45.

XIV. Kaiser Friedrich I. bestätigt dem Bisthum Brandenburg seine Besitzungen und Zehnten, am 20. Juni 1161.

In nomine sanctae et individuae Trinitatis. Fredericus, divina favente clemencia Romanorum imperator et semper Augustus. Si piis fidelium nostrorum petitionibus exorabiles aures

impendimus, ad stabilitatem nostri imperii nostri nostraeque vitae, immo et animae nostrae profuturum esse in perpetuum, minime dubitamus. Ea propter notum esse volumus universis fidelibus, tam futuris quam presentibus, qualiter nos, intuitu divino et fidelium nostrorum interventu, in terra Sclavorum, in pago Heveldun, in civitate Brandenburch, in honore domini ac salvatoris nostri et beati Petri, apostolorum principis, episcopalem sedem ab antecessore nostro Otthone, imperatore constitutam, confirmavimus, corroborantes eidem ecclesiae dimidiam partem predictae civitatis aquilonarem et dimidiam partem insulae totius septentrionalem, in qua civitas eadem habetur constructa, dimidiamque partem omnium villarum illuc pertinentium, duas insuper integras *) civitates cum omnibus suis appendiciis, Pricervi et Ezeri nominatas. Preterea confirmamus prememoratae sedis parrochiae provincias infra nominatas: Moraciani, Ciervisti, Ploni, Zpriawani, Heveldun, Vuveri**), Riaziani, Zamcici, Daffia, Lufici, terminum quoque eidem parrochiae constitutum orientem versus ad flumen Oderam et occidentem ac austrum versus usque ad Albiam flumen, ad aquilonem vero usque ad fines provinciarum supra nominatarum: Vuveri, Riacciani, Daffia. Omnem itaque decimationem in parrochia totius episcopatus predictae ecclesiae, traditam ab imperatoribus Otthone et Heinrico, nostra imperiali auctoritate confirmamus, exceptis decimis possessionum Megdeburgensis ecclesiae, quas Megdeburgensis ecclesia studio Cunradi Megdeburgensis archiepiscopi et Wicheri Brandeburgensis, tempore Innocencii pape et Cunradi regis per concambium optinuit. Preterea mercatum, monetam, theloneum, districtum ceteraque omnia, ad haec iuste legaliterque pertinentia, in loco Verlebe et in pago Northuringa et in comitatu Liuthere comitis sita, predictae ecclesiae nostro edicto roboramus, ea videlicet ratione, ut omnibus ejusdem ecclesiae episcopis neque dux neque comes vel vice comes nec persona magna vel parva, imperatorum donationem et nostram confirmationem infringere audeat aut ibi negociantes inquietet. Proinde omnium fidelium pateat industria, qualiter nos pro dei amore et animae nostrae remedio ecclesiam Brandeburgensem, in honore beati Petri, apostolorum principis, fundatam, sub nostri mundiburdii defensione suscipimus, confirmantes omnibus ejus episcopis, ut habeant eandem libertatem, quam episcopi Saxonici habent, videlicet in eligendo advocatos in toto suo episcopatu, prout eis oportunum fuerit, sicut a predecessore nostro imperatore Henrico eidem ecclesiae traditum fuit. Illa etiam bona, quae Brandeburgensis episcopus Wigerus vel quaelibet fidelis persona canonicis in Monte beatae Mariae juxta villam Lezeke juxta regulam beati Augustini viventibus contradidit vel in posterum dabit, et quae similiter fidelis noster Willemarus, ejusdem ecclesiae episcopus, canonicis in Brandenburch, nichilominus secundum regulam beati Augustini sub norma Premonstratensis ordinis viventibus, concessit, vel quaelibet persona dedit, vel in posterum legitime dabit, nostra imperiali auctoritate confirmamus. Et ut haec praedicta regalia dona Brandeburgensis ecclesiae episcopi de manu imperiali in pace et quiete in perpetuum teneant, nostro imperiali edicto sancimus.

Hujus nostrae confirmationis testes sunt Pelegrinus, Aquilegensis Patriarcha, Hillinus, Treverensis archiepiscopus, Wido Ravennatis, Stephanus Viennensis archiepiscopus, Everardus Bambergensis, Henricus Leodiensis, Godefridus Trajectensis, Fridericus Monasteriensis, Guntherus Spirensis, Henricus Wirzeburgensis, marchio Theodoricus, Otto Palatinus, Lodvicus

*) So hier, in den Urkunden von 949 integre.

**) Schreibfehler des Concipienten statt Vuveri. Vgl. v. Ledebur's treffliche Abhandlung in den Märf. Forschungen Band III, 345.

Lantgravius, Cunradus Palatinus de Rheno, Fredericus, dux Suevorum, Henricus, dux Carinthie, Burcardus, Megdeburgensis Burcravius.

Signum domini Friderici, Romani imperatoris invictissimi.

Ego Viricus, cancellarius, vice Reinaldi, Colonienſis archiepiſcopi et Italiae archicancellarii, recognovi.

Acta ſunt haec anno dominicae incarnationis M^o. C^o. LX^o. I^o. indictione VIII^{na}; regnante domino Frederico, Romanorum imperatore victorioſiſſimo, anno regni ejus X^{mo}, imperii vero VII^{mo} feliciter. Amen. Datum Lauda in palacio imperatoris, XII^o. kal. Julii.

Nach dem Originale.

XV. Der Biſchof Wilmar gründet das Domcapitel auf der Burg Brandenburg 1161.

— Ego Wilmarus, dei gratia Brandenburgensis ecclesie episcopus. Eterne mercedis intuitu divino dans operam ministerio in urbe cathedrali scilicet Brandenburg, consilio Wigmanni, honorabilis magdeburgensis archiepiſcopi et ſue majoris ecclesie capituli, generalis quoque ſue ſinodi, nec non et consilio totius Brandenburgensis ecclesie, honorem dei innovare atque exaltare decrevi. Urbs enim prenominata fere usque ad nostra tempora a paganis possessa et idolorum cultura incesta fuit; at deo adjuvante et magno Christianorum labore cooperante cum multa sanguinis effusione nobilium nec non et aliorum ad possessionem Christianorum rediit; quocirca amplius illic innovande religioni operam dedi. Juxta ergo prefatum consilium in urbe illa, scilicet Brandenburg, canonicos, secundum regulam beati Augustini, sub norma Premonstratensis ordinis degentes, prepositum ejusdem ordinis eis preficiens, institui et eis prebendas de bonis ecclesie juxta predictum consilium contradidi. Dedi enim eis et in publica ſinodo Magdeburgensi et coram ecclesia Brandenburgensi confirmavi villas, quarum nomina ſunt hec: Bukowe cum decimis et omnibus appendiciis, Garzelize, Bultiz cum decimis et omnibus appendiciis, Muceliz, Gorne cum decimis et omnibus appendiciis. Preterea duos lacus, qui ſunt juxta latus Burgwardi Pritzerewi verſus caſtrum Brandenburg, in uſus fratrum perpetua ſtabilitate dedi. Preterea archidiaconatum episcopatus predicto consilio diviſi, Siquidem Wiggerus, noſter predeceſſor, archipreſbyteratum in toto episcopatu, ſede cathedrali Brandenburg nondum ſuos habente canonicos ob paganorum importunitatem, illum, inquam, preposito Lamberto de Liezke commiferat. At nos diſpenſatione et consilio Wigmanni, Magdeburgensis archiepiſcopi, et multorum religioſorum nec non et principum et nobilium multorum illic preſentium archidiaconatum episcopatus dividentes Wigberto, Brandenburgensis ecclesie preposito ſuiſque ſucceſſoribus illum de Havela usque Oderam, rurſum de Havela verſus occidentem usque aquam, que Yla dicitur, confirmamus. Preterea de Burgwardis Schartowe, Mukerne, Louburg, excepta ecclesia Dalchowe, preterea de Bukowe, Gorckeke, Redizke, Wifenburg, Beltiz, Mordiz, Niemeke, Juterbuk perpetua ſtabilitate concedimus. Hee omnia ſapientum consilio diſpenſata et a nobis facta villas quoque et manſos Brandenburgensi ecclesie a principibus datos et dandos, villas, inquam, Thure, Tremene, Mukzowe, preterea omne jus canonicum, quod ecclesia cathedralis Brandenburgensis juſte debet habere, et ut